



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

Disputatio XVII. Vtrum consulendus sit omnibus fidelibus indifferenter vsus
quotidianus Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

munionem; ergo nec poterit dispensare, ut qui antea communicauit, non communicet in Paschate, si tunc nullum habeat impedimentum: numquam ergo lex illa dat facultatem abstinendi à communionem; quando non adest impedimentum in ipso tempore, quod à lege praescribitur.

Quarto quæri solet, an qui scienter, vel ignoranter communicauit in Paschate in statu peccati, satisfecerit Ecclesiae præcepto, ita ut postea non obligetur ad communicandum iterum eodem anno. Negant plures, Durandus, Capreolus, Adrianus, apud Suar. loco citato sect. 3. Afferri etiam potest Dionys. Cisterciensis in 2. disp. 17. quatenus dicit, modum charitatis cadere sub præceptis Decalogi. Sed magis expresse hoc docent in nostro casu Nugnus in præfati quest. 80. art. 1. difficult. 2. dub. vlt. Syluius in præfati art. 11. questio 2. & alij Recentiores.

Contraria sententia communis est, quam tenent Corduba, Soto, Covarruias, quos refert, & sequitur Suarez, sect. 3. Azor tom. 1. lib. 7. c. 41. quest. 12. Lud. Lopez part. 1. Instrucl. cap. 11. Facundez lib. 1. de 3. Precept. Eccles. cap. 6. num. 4. Pitigianus in 4. dist. 9. quest. 3. art. 10. Villalobos in Summa tom. 1. tract. 7. diff. 42. n. 6. Diana tom. 2. tr. 4. de Sacram. res. fol. 43. & alij omnes fere communiter.

Ratio præcipua est, quia præcepta non obligant ad finem, sed ad substantiam præcepti: quare licet Ecclesia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius Sacramenti fructus, & effectus percipiant, id tamen, quod præcipit, solum est, quod suscipiatur Sacramentum; ergo ille, qui reuera suscipit hoc Sacramentum, vere satisfacit præcepto, licet inutiliter, imo sacrilege, & cum nouo peccato. Sicut præceptum suscipiendi Ordinem, aut Confirmationem, vel contrahendi matrimonium, obseruaretur ab eo, qui indigne ea Sacramenta susciperet: & sicut satisfacit præcepto audiendi Missam, qui eam ex malo fine, & peccaminose audit. Vide, quæ diximus sectione 2. n. 21. circa præceptum Diuinum, & postea n. 45. circa præceptum sumendi Viaticum: ea enim à fortiori probant de hoc præcepto Ecclesiastico; ubi etiam assignauimus differentiam inter communionem factam in peccato, & illam, quæ fieret casu, & absque intentione; per hanc enim non impleteretur præceptum, quia non esset Sacramentalis, sicut illa alia: præceptum autem est de communionem Sacramentali, & validam de fructuosa.

Obiicitur primo; quia Ecclesia præcipit semel in anno Eucharistiam reuerenter suscipere; ut constat ex verbis Legis supra relatis; qui autem indigne suscipit, non accedit reuerenter, sed irreuerenter; ergo non satisfacit præcepto. Respondetur Ecclesiam illo verbo, reuerenter, vel voluisse solum reducere in memoriam vnicuique debitum reuerentiae, quod aliunde obligat, vel præcipere reuerentiam externam. Alioquin non congrueret poena arcendi, ab Ecclesia transgressores, quam imponit: quomodo enim possent Prælati eam exequi contra indigne communicantes?

Obiicitur secundo; quia hoc præceptum est determinatum præcepti Diuini: sed Diuinum præceptum non solum obligat ad communionem, sed etiam ad communicandum digne, & in statu gratiæ; ergo Ecclesiae præceptum debet habere idem obiectum; necesse enim est, ut id, quod determinat aliud, participet eadem prædicata, & sit sub eodem genere cum eo, quod determinatur. Respondetur, concessa Maiori, distinguendo Minorem: præceptum Diuinum positum, quod obligat ad communionem, præcipit, quod sumatur in gratia, nego: huic enim præcepto satisficit etiam per communionem indi-

P. Ioan. de Lugo, de Sacramentis.

gnam, ut vidimus Sectione secunda, locis supra citatis; Præceptum Diuinum aliud naturale, quo prohibetur accedere indigne, concedo: præceptum autem Ecclesiae determinat solum illud prius præceptum Diuinum propositum, non hoc posterius naturale & negatiuum: hoc enim non indiget determinatione, cum sit vniuersale, & obliget pro semper.

Tertio obiiciunt, quia Ecclesia præcipiens recitare Officium, vel audire Sacrum, præcipit etiam reuerentiam, & attentionem debitam, quia hæc sunt de substantia illarum actionum, quas præcipit; ergo præcipit etiam dignam sumptionem Eucharistiæ, quæ dignitas est magis de substantia rei præceptæ. Respondetur retorquendo Antecedens: nam Ecclesiae præcepto fit satis per recitationem, vel auditum Missæ sacrilegæ, & factam ex fine peccaminoso, quia adhuc illa manent substantialiter recitatio, vel auditio Missæ; ergo per communionem indignam satisficit, quia hæc est substantialiter communicatio Sacramentalis, quam Ecclesia præcipit. Itaque recitatio etiam Officij absque attentione interna, dummodo adsit intentio, & alia requisita, est recitatio substantialis. An vero de facto Ecclesia etiam præcipiat attentionem, & qualem, dicemus aliquid infra Disputatione vltima, de auditio Missæ.

Quarto obiicit Syluius, quia Sacramentum hoc est cibus animæ; non satisfaceret autem præcepto de sustentanda vita corporali, qui cibum corporis sumeret eo modo, quo non potest prodesse, sed solum obesse; ergo neque is, qui accipit Eucharistiam indigne, satisfacit præcepto. Respondeo, illud præceptum naturale non esse formaliter sumendi cibum, sed sustentandi vitam; quare si quis absque cibo sustentaret vitam, quomodocumque id fieret, non teneretur ad capiendum cibum. In nostro autem casu præceptum non est de fine, quod à posteriori constat, quia licet aliquis ex reuelatione sciret, se absque Eucharistia conseruaturum, & cum augmento gratiam, adhuc obligaretur præcepto sumendi Eucharistiam: non ergo præcipitur finis, sed sumptio huius cibi, siue pro sit, siue non pro sit conseruationi gratiæ. Secluso enim præcepto positio Diuino, & humano, non est obligatio grauis procurandi conseruationem vitæ spiritualis per hoc medium, cum sint alia media ad illum finem obtinendum.

Quinto quæri solet, quæ ætate obligentur pueri hoc præcepto Ecclesiastico: De hoc tamen diximus satis supra disp. 13. Quæri denique solet, an huic præcepto debeat satisfieri in Ecclesiis Regularium; de hoc vero dicemus infra disp. 18. de ministro Eucharistiæ sect. 2.

DISPUT. XVII.

Utrum consulendum sit omnibus fidelibus indifferenter vsus quotidianus Eucharistiæ.

SECTIO I. Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.

SECTIO II. Prior pars vera, & communis sententia explicatur & probatur.

SECTIO III. Secunda pars communis, & vera sententia probatur.

SECTIO IV. Soluuntur obiectiones contra communem sententiam.

DE VBIUM hoc tetigit sanctus Doctor in præfati articulo 10. cuius sententiam reliqui Scholastici amplexi breuiter supponunt, & iam

res videbatur extra controuersiam esse, donec pietas aliquorum adeo acriter quotidianæ communionis partes suscepit, vt hæc breuis quæstiuicula ad librum vsque excreuerit, & vulgi mentes in varias, vt fieri solet, factiones diuiserit. Oportet ergo rem hæc ad trutinam disputationis Scholasticæ reuocare; breuissime tamen; & sane sufficit, si veritatem sincere quærimus: si contentionem, nec liber integer.

SECTIO I.

Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.

1.
Supponitur
primo id in
quo omnes
conueniunt.

Supponendum primo, Auctores vtriusque partis conuenire in eo, quod homini existenti in gratia licet simpliciter quotidianus vsus Eucharistiæ, nec in huiusmodi frequentia includi labem peccati lethalis: nam sicut præceptum graue solum cogit ad communionem annuam; sic etiam solum prohibet duplicem communionem vnius diei, siue hæc prohibitio sola consuetudine, siue positiuo præcepto inducta fuerit: quare licet aliquando nimia frequentia possit esse culpa venialis, sicut etiam nimia abstinencia intra annum ob aliquam circumstantiam; ceterum neutrum extremum continet materiam culpæ graui; sed tota controuersia est, vtrum intra terminos consilij, & perfectionis oporteat quotidianam communionem omnibus indifferenter consulere, vtpote rem vtiliorem, & medium aptius Christianæ & Euangelicæ perfectioni.

2.
Supponendum
secundo non
dubitari
quin vsus
ille sit lau-
dabilis.
Conc. Trid.

Supponendum secundo, non dubitari, an vsus quotidianus Eucharistiæ de se laudabilis sit, & perfectior, quam vsus rarior, atque ideo curandum omnibus esse ad illum peruenire, si possint. Hoc enim sub his terminis adeo certum est, vt nemo Catholicus potuerit de hoc dubitare. Habetur enim fere expressum in Trid. sess. 22. cap. 6. vbi Ecclesia hanc frequentiam maximopere desiderat. *Oportet, inquit, sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent, quod ad eos sanctissimi huius Sacrificij fructus vberior prouenerit.* Quod si perfectius esset abstinere, quam communicare; procul dubio non optaret frequentiam Ecclesia. Ex quo etiam fit in genere loquendo, non expedire prohibere omnes fideles absolute à communionem quotidiana: hoc enim esset, prohibere illos ab eo, quod de se est perfectius, & vtilius: sicut si prohiberetur à voto castitatis, vel statu religionis. Quare merito Congregatio Cardinalium 4. volumine decisionum Rota in declaratione præfati loci Tridentini, decreuit, huiusmodi prohibitiones esse perniciosas. *Obstat, inquit, Conc. Trident. Episcopo volenti præscribere certa tempora: vt dies Dominicos, quartam, & sextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & melioribus etiam non coniugatis sanctissimam Eucharistiam sumere; etiam ob irreuerentiam, quam potest quotidiana huius Sacramenti sumptio in sua diocesi parere.* Hoc fuit decisum in mense Ianuarij 1587. ob stare, quia antiquo tempore, per acta consecratione, omnes adstantes sumebant Eucharistiam: & ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere. Hæc sunt verba Cardinalium, ex quibus constat, vsum quotidianum Eucharistiæ laudabilem esse, & desiderandū ob innumeros fructus, quos parere potest in Ecclesia. Quæstio ergo non procedit de perfectione huius frequentie secundum se, sed prout in hoc indiuiduo (vt ita loquar): potest enim contingere, aliquem actum secundum se esse perfectiorem, & tamen huic indiuiduo non esse vtiliorem, licet alioquin non sit illicitus. Sane dubitari

non potest, perfectiorem esse cæteris paribus virginitatem, & cælibatum, quam nuptias, vt constat ex Tridentino sess. 24. can. 10. & tamen possunt dari casus quibus magis expediant huic feminæ nuptiæ, quam virginitas. Dubium ergo est, an hæc maior vtilitas, & perfectio communionis quotidiane vniuersaliter sit accipienda respectu omnium fidelium existentium in statu gratiæ; an vero sint aliqui etiam iusti, quibus ob magnam tepiditatem, ob relaxationem voluntariam, ob distractiones, & curas sæculi, consultius sit rariùs, quàm singulis diebus ad Eucharistiam accedere.

Partem affirmantem sub his terminis explicatam, & quod omnibus iustis vniuersaliter sit vtilior quotidiana communio, nescio aliquem ex antiquis, qui eam docuerit. Nam licet omnes tam Patres, quam Scholastici vniuersaliter frequentiam suadeant (vt postea videbimus) sicut etiam suadent virginatatem, & religionem accipiendi tamen sunt, suppositis terminis habilibus. Cæterum hanc doctrinam vniuersaliter docuit hac tempestate Theologus quidam Benedictinus Petrus Vincentius de Marzilla apud Compustellanos primarius Theol. Professor, qui pro sua opinione Memoriale quoddam edidit ad Archiepiscopum Compustellanum, & postea libellum integrum, quem vocauit *Additiones ad Memoriale*, vtrumque Hispano idiomate, vt facilius apud plebem spargeretur; quæ, vt heri solet, in partes diuisa cæpit partim prædicto Magistro adherere, partim illum reprehendere, & nouitatis perniciose insinulare, præsertim quod non solum homines, ac mulieres cuiusque status, & conditionis ad communicandum quotidie induceret, sed eo potissimum, quod eos hac in parte Confessarij iudicium expectare nollet, nedum eius monitis, aut consilio obtemperare, sed eo ipso quod absolutionem sacramentalem à lethalibus obtinerent, vterentur iure suo, & inuito etiam, ac dissuadente Confessario, ad communionem accederent.

Mortuo præfato Magistro successit alius eiusdem Ordinis, & opinionis assertor Fr. Maurus de Valderas, qui, edito Theologico certamine, eandem doctrinam renouauit: addidit tamen, rusticis, & ignatis non esse consulendum accedere sine licentia Confessarij, eo quod facile possit contingere incidisse in aliquod lethale, cuius speciem, aut gravitatem ignorent, & accedant sine gratia ad hoc Sacramentum: cæterum, absolutione obtenta, non credo requiri etiam ab hoc Theologo vltieris Confessarij placitum.

Potissima fundamenta horum Auctorum sumuntur ex Patrum verbis vbique quotidianam communionem suadentium; ex vsu primitiue Ecclesiæ; ex desiderio Tridentini supraposito; ex fructu Sacramenti, qui datur ex opere operato omnibus iustis, quem procurare melius est, quam illo carere, cum sit augmentum gratiæ, & virtutum; & denique ex eo, quod Paulus solum exigit hanc conscientie puritatem à lethali, vt quis digne accedat: quare qui eam habet, non est, cur amplius abstinere. Hæc sunt potissima capita argumentorum, quæ tamen postica singillatim recenserebimus, vt simul dissoluantur, potiusquam vera, & communis sententia in sequentibus sectionibus explicata fuerit, & comprobata.

SECTIO II.

Prior pars vera, & communis sententia explicatur, & comprobatur.

Vera, & antiqua sententia, quam fideles omnes ipso cum lacte acceperunt, & quæ ex terminis notam Scholastici Doctores non tam probare curant.

curant, quam supponere, duas habet partes: prima est, non expedire omnibus iustis indifferenter, cuiusque status, & vitæ sint, quotidianam communionem, neque eis esse vitiosam, licet alioquin non sit illicita. Secunda est, eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non se suo arbitrio debere credere, sed standum sibi iudicio prudentis Confessarii, vel Patris spiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus, minusve extendere, pro maiori, vel minori ipsius aptitudine. Primam partem in hac Sectione; posteriorem in Sectione sequenti comprobabimus.

Et quod artinet ad primam partem, in ea conveniunt omnes Scholastici, nullo prioris excepto. S. Thomas in presenti art. 10. in corpore sic ait: Circa usum huius Sacramenti duo possunt considerari: unum ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideo vile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat, &c. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, subiungit: sic tunc, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel anime, non est vile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere. Hæc S. Thomas, apud quem vides expresse, communionem quotidianam non esse vitiosam ob defectum magnæ devotionis, & reverentie, quam dicit desiderari ex parte hominis ad hoc Sacramentum. Quis autem dicat nomine magnæ devotionis, & reverentie, intelligi carentiam solam peccati mortalis, admixtam etiam cum distinctione, & tepiditate maxima, & cum proposito actuali committendi innumera venialia ex aduertentia? Sanè ego istam magis dicerem indeuotionem, & irreuerentiam, quam magnam deuotionem, & reverentiam.

Sed age, explicet se sanctus Doctor, de qua reverentia loquatur: ipse ergo in 4. dist. 12. quæst. 3. artic. 1. quæstionem 1. sic ait: In hoc Sacramento duo requiruntur, scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor; & reverentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia, & deuotione postmodum accederet. Hæc S. Thomas, apud quem cæcus videat, nomine reverentie non intelligi carentiam peccati mortalis: hæc enim non minuitur per quotidianam communionem, sed deuotionem actuale, & præparationem, ac fervorem, qui ut postea videbimus, poterit aliquando per accidens minui ob nimiam frequentiam. Quare idem sanctus Doctor postea artic. 2. quæstionem 3. concludit, sumere Eucharistiam, esse bonum per se, & ex genere; abstinere vero, esse bonum per accidens, & addit: Ideo simpliciter loquendo melius est Eucharistiam sumere, quam ab ea abstinere: sed in casu aliquo nihil prohibet, esse melius abstinere, quando aliquis probabiliter præsumit, ex sumptione reverentiam minui. Hæc S. Thomas, cuius verba si

legit Auctor contrariæ sententiæ, cur miratur cap. 19. apud discipulos S. Thomæ suam doctrinam offensionem parere, & novitatem? Quid enim pareret, quæ ex diametro opponitur menti, & verbis Angelici Doctoris.

Accedat S. Bonaventura huius venerabilis Sacramenti deuotissimus testis in 4. dist. 12. part. 2. quæst. 2. propositis pro utraque parte rationibus, sic concludit: Si ergo queritur, utrum expediat frequentare alicuius dicendum, quod, si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum; laudandum est, quod raro: si autem mediomodo; medio modo se debet habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat reuerentiam, quando accedere, ut inflammetur amore: Quia tali hosti debetur honor, debetur & amor; & tunc secundum illam partem, secundum quam videtur se melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo solum experientia discit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, salua debita præparatione, quæ in paucissimis est ut semper. Hæc Bonaventura; cum quibus videant aduersarii, quomodo cohereant, quæ docent, dum dicunt, communionem quotidianam expedire omnibus cuiusque status, & conditionis, dummodo non sint in mortali, & præparationem debitam ad istam frequentiam reperiri in omnibus etiam Laicis rite absolutis à lethalibus.

Habemus etiam aliud præclarum testimonium eiusdem Bonaventuræ lib. 2. de profectu religionis Aliud eiusdem cap. 77. in hæc verba: Vix aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus, (exceptis Sacerdotibus) quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi speciali causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas sollemnis, &c.

Hunc modum loquendi obseruant alij Scholastici. Alex. Alensis 4. p. art. 4. §. 1. quæstionem 2. cū proposuisset verba Augustini de Ecclesiasticis dogmatibus: Quotidie Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vituperor; quærit, utrum Augustinus loquatur de bonis, an de malis: si enim de malis, deberet vituperare; si de bonis, laudare; respondet in hæc verba: Augustinus loquitur de bonis; & potest esse in bonis, quod quotidie communicare generet fastidium, & minorem reverentiam, & deuotionem, & c. in aliquibus vero ipsa frequentia auget deuotionem & reverentiam; & tunc laudabile est quotidie accipere; & ideo nec laudat, nec vituperat; quia aliquando bene potest fieri à bonis, quandoque bene omitti à bonis. Quod ipsum repetit infra quæstionem 4. dicens: Per se loquendo magis expedit alicui digne accedere, quam expediat eidem cessare: occasionaliter tamen magis expedit cessare ad tempus, quam frequenter accedere; quia aliquando contingit, quod cessatio est causa maioris deuotionis, & reverentie. Hæc Alexander; cui contradicunt Auctores primæ sententiæ dicentes; qui hodie non communicat ineptiorem esse ad craftinam communionem, quam si hodie communicasset.

Idem habet Richardus in 4. d. 12. art. 6. quæst. 1. ubi sic ait: Si autem sentiret homo, per multam frequentationem minui reverentiam ad hoc Sacramentum, & fervorem non multum augeri, interdum deberet abstinere, ut cum maiori reverentia, & deuotione postmodum accederet. Eadem verba habet Palud. ibi quæst. 1. Dionys. Carthus. quæst. 5. Alber. d. 13. art. 27. & 28. qui addit, quod inter fervorem charitatis trahentem ad communicandum, & Alber. inter timorem reverentie retrahentem, medium

debet seruire temperatrix discretio. Et in lib. de Missa in fine: De his, qui mulieres omni die communicant, videtur, inquit, quod acriter reprehendendi sunt, quia nimio visu vilescere faciunt Sacramentum, & potius ex levitate mulierum putatur esse desiderium, quam ex deuotione causatus. Ac denique de viduis, seu in castitate manentibus, & de iis qui præparant se ad communionem per abstinentiam à coitu, dicit, non debere prohiberi de mense in mensem.

15. Similiter loquitur Victoria de Eucharistia, n. 85. Pet. Soro late sect. 9. de Euchar. Durandus in 4. d. 12. q. 5. Domin. Sotus ibi q. 1. ar. 10. vbi coniugatis non permittit, nisi ad summum semel in hebdomada communicare. Quandus ibid. 12. in fine addit, indegens esse vno die post alterum Laicos communicare. Caietan. ibi durius loquitur etiam cum Sacerdotibus. S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 12. §. 5. iubet tepidos aliquando abstinere, quia nimia familiaritas parit contemptum. Thomas de Argentina illa dist. 12. q. 13. art. 3. diueri mense assignat inter perfectos, & tepidos: & adducto exemplo caloris naturalis, illos inquit, sepius congruit sumere, qui spiritualiter habent fortiores virtutes digestiuas, pura in quibus magis viget a mor, & astutus desiderium ad sumendum. Didacus de Tapia in 3. p. q. 8. de Euchar. art. 12. & Nugnus in presenti. Pelbartus de Themelhar 4. p. Rosarij, verbo Eucharistia. §. 23. circa finem. Syluester, Eucharistia 3. q. 15. Ioan. de Friburgo in Summa lib. 3. tit. 24. q. 119. Tabiena, Communio, num. 17. Alfonso Vega in sua Summa, cap. 10. de Eucharistia. §. 18. Pet. de Ledesma 1. part. Summa c. 14. Barthol. de Ledesma in Summario de sacramento Eucharist. difficult. 27. col. 412. & acriter contra aduersarios Bartholomæus de Medina in Instruct. Confessarij 3. Præcept. Eccles. §. 42. Angelus, Eucharistia 3. num. 38. & vno verbo omnes Theologi Scholastici, Morales, & Mystici, inter quos M. Ioan. de Auila adducendus infra sect. 4. Omittit auctores nostre Societatis, quæ licet ab eius ortu in frequentiam huius Sacramenti valde fuerit propensa; semper tamen cautissime communionem quotidianam dari voluit, & non nisi probate vitæ, & eximie virtutis testimonio præeunte. Videatur Suarez in presenti, dist. 69. sect. 4. Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 53. P. Egidius in presenti. Valentia dist. 6. q. 8. puncto 4. & alij omnes. Nec mirum, eos ita sentire, quos proprii instituti ratio ad hanc doctrinam præuenierat; vtpote, quæ in Reg. 26. Sacerdotum præscribit omnibus Societatis Confessariis, ne sint faciles ad communionem quotidianam poenitentibus concedendam, sed potius coniugatos moneant, ne crebrius quam octauo quoque die accedant: quam Regulam licet Marzilla oppugnare tentauerit per epistolam ad Præpositum Generalem Claudium, quæ enixe postulabat, & sperabat, vt abrogaretur; frustra tamen talem spem de nostra Societate concepit, quod tam facile dissuaderetur ab ea opinione, quam à primis parentibus adeo prudenter imberbat. Quare merito hanc fiduciam ei abstulit noster Ludou. de Ponte.

16. Vides communem Scholasticorum consensum, à quo in re graui, & mortali non licet priuata auctoritate discedere, præsertim cum credibile non sit, Scholasticos, & Doctores grauissimos sine firmissimo fundamento in hanc sententiam conspirasse. Primum desumitur ex Patribus, qui licet frequen-

tiam Eucharistiæ sapissime suadeant, numquam tamen voluerunt ita intelligi, vt cum sola gratia habituali expediret quotidie ad Sacramentum accedere, vel vltius maximam quamdam reuerentiam, & præparationem exigunt. Chrysostomus hom. 17. Chrys. hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat; non simpliciter dicit, à peccatis mundus, sed sanctus: sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia. Non enim inquit, volo à cæno vos mundari esse, sed etiam albos esse, & pulchros, &c. hæc eadem repetit hom. 61. ad populum Antiochenum. Augustinus item, siue quicumque Auctor fuit libri de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 5. tom. 3. vbi illa vulgaria verba habentur: Quotidie Eucharistia communem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandam suado, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Ex quibus verbis ad minus colligitur, apud Augustinum magis apertam esse vtilitatem communionis hebdomadariæ, quam quotidianæ: illam enim simpliciter suadet; de illa dubitat: nec valet dicere, Augustinum loqui de eo, qui non est in gratia: hunc enim nec ad hebdomadariam communionem hortaretur. Loquitur ergo de homine iusto, vt explicat Bonauent. in 4. vbi supra; quem tamen, quia raro inuenitur cum puritate requisita ad quotidianam frequentiam, vt dixit idem Bonauentura, relinquunt Augustinus suæ conscientie. Sciebant Patres, habendam esse rationem etiam reuerentiæ tanto sacramento debite: ideo licet ad frequentiam sepe incitarent, aliquando etiam reuerentiæ admonerent. Sic Ambrosius in oratione ante Missam: Quia cordis contritione, & lacrimarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis castitate, & anima puritate illud Diuinum mysterium est celebrandum, Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur! Quare Catechismus Pij Quinti, cum antiquæ frequentie meminisset, rationem addidit, frequentiam scilicet eximium illius sæculi, parte 2. cap. 4. sect. 61. Omnes enim inquit, qui tunc fidem Christianam profitebantur, vera & sincera charitate ita ardebant, vt cum sine intermissione orationibus, & alijs pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Domini corporis mysteria sumenda parati inuenirentur. Attende, obsecro, an hæc præparatio in sola carentia lethalis consistere; & an hodie in omnibus secularibus passim inueniatur. Nostro autem sæculo quid faciendum, explicat idem Catechismus paulo ante his verbis, Virum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest. At hi Auctores vnam omnibus regulam communem assignant; vt, qui sine lethali est, accedat; qui non est, non accedat.

Secundo fundatur hæc communis Scholasticorum sententia firmissima ratione, cuius vis ad disputandum potissimum capita spectat: primo, ad fumentis vtilitatem; secundo, ad sacramenti reuerentiam. Nam in primis, cum certum sit, effectum Eucharistiæ crescere pro maiori, & meliori præparatione summentis, procuranda summo opere est hæc præparatio; est autem optima præparatio ad hunc cibum, sicut ad alios, fames quædam, & spiritualis eluxio: nam vt dixit Augustinus, panis hic interioris hominis esuriem desiderat, & licet de eo pane dictum sit, quod, qui edunt illum, adhuc esuriunt, ceterum apud imperfectos non raro solet contingere, nimiam frequentiam parere contemptum quemdam, & fastidium, abireque communionem ipsam in contumaciam

rudinem corpori admixtam, ortam magis ex usu, quam ex feruore spirituali: nam ipso usu vilescunt preciosas, minus immutant. Ideo merito dixit Bona- uentura in 4. d. 12. ubi supra, quod maiorem efficaciam recipit homo in una Missa, vel manducatione cum bona preparatione, quam in multis, si non se preparat diligenter: quia nimirum nimia frequentia admittit paulatim diligentiam preparationis, & per consequens fructuum vbertatem, quae datur pro mensura dispositionis: quare ad istam famem conseruandam, & excitandam, fugiendumque periculum insensibilitatis, & contemptus, expedit aliquando homini etiam existentem in gratia abstinere. Ideo forsitan *Leuit. 24.* iubetur, panes propositionis per singula Sabbatha mutari, & alios recentes substitui; ut monemus, panem hunc, non nisi nouo cum calore, & feruore spirituali offerre, ad quem concipiendum regulariter conducit hebdomada mensura.

Secundo attenditur, ut dixi, ad ipsius sacramenti reuerentiam; in quo licet Christus fletum ad nostram effuderit vilitatem, expedit tamen tanti Domini rationem habere, & eum, ut par est, tractare reuerenter: sicut *Isaia 6.* legimus Seraphim non manu, sed forcipe tulisse prunam, seu caliculum de altari; non quidem quia, si manu tangeret, cremaretur manus Angelica; sed in signum reuerentiae, quia caelestis pruna in altari posita tractanda est. Huius ergo reuerentiae, & decoris causa multa sunt circa hoc sacramentum, quae prima facie videntur dispendium afferre nostrae vilitatis, licet reuera non afferant, ut videmus. Nam in primis ideo non licet duplex communio in vno die; quia licet singula nouum fructum afferret, esset tamen quadam species minoris reuerentiae passim accedere ad tam venerabile sacramentum; nec ideo solum prohibetur multiplex communio in die, quia per vnam communionem melius representatur unitas mortis, & passionis Christi, ut vult Marzilla; quia licet haec sit ratio alicuius congruentiae, non tamen convincens: potest enim pariter ob eundem respectum prohiberi duplex communio in hebdomada. Ratio ergo fuit, quam tradit Gabriel *sect. 87. in Canonem* his verbis, *Defectus debita reuerentiae, praesumptio dignitatis propriae, & insufficientia gratitudinis reddenda. Ad dignam summptionem huius sacramenti requiritur meditatio excellentiae tanti sacramenti, ut mens excutatur ad sumendum cum reuerentia, & deuotione. Requiritur etiam meditatio propria indignitatis, ut excutatur animus ad sumendum cum timore, &c. Haec autem difficulter digne exhibentur pluries vna die, unde tandem in consuetudinem veniunt sine hac preparatione sumere, & per hoc minus reuerenter.* Haec Gabriel; ex quibus colligitur clare, hominem, cui quotidiana communio causa esset accedendi sine meditatione, & consideratione, siue quia frequentes occupationes impediunt, siue quia exigua deuotio non sufficeret ad quotidianam preparationem, hunc (inquam) melius facere accedendo semel in hebdomada, quam singulis diebus, cum respectu huius militet eadem ratio.

Confirmatur primo, quia ob eandem sacramenti reuerentiam prohibuit Ecclesia Eucharistia summptionem infantibus baptizatis, licet hoc non fiat sine aliquo ipsorum dispendio, quibus Eucharistia auget gratiam ex opere operato: & usus etiam obtemperat, pueris etiam doli capacibus non dari Eucharistia ante perfectum usum rationis. Quem morem licet videatur Marzilla reprehendere in Memoriali ante primam obiectionem, probant tamen illum Theologi omnes, quos refert Suarez in *praesenti disp. 70. sect. 1.* & Catechismus Pij V. & consuetudo omnium Sacerdotum non admittentiū statim pueros

ad communionem, licet eis absolutionem impendant. Quia etiam ratione apud Indos non admittuntur omnes sine delectu ad Eucharistiam, licet omnes absoluantur, sed illi solum, qui proiectiores sunt, & melius discernunt cibum istum. Vides, quam infirma sit haec consequentia: aliquis est iam per absolutionem capax fructus Eucharistiae; ergo non est, cur illi negetur. Debet enim ulterius haberi ratio reuerentiae ipsius sacramenti, ut docuit Tridentin. *sess. 21. c. 2.* ubi ait in Sacramentorum dispensatione attendendum esse ad vtilitatem suscipientium, & ad Sacramenti venerationem, pro temporum varietate, &c.

Confirmatur secundo, quia ob eandem reuerentiam non datur Eucharistia amentibus etiam non perpetuis, & baptizatis, & capacibus effectus Eucharistiae; quibus licet in fine vitae detur pro Viatico, non tamen ante mortem; ut cum Catechismo Pij Quinti docent communiter Theologi; quos sequitur noster Suarez *Disp. 69. Sect. 2.* ubi bene aduertit, rationem discriminis inter mortis articulum, & aliud tempus procedere ex veneratione debita huic Sacramento; quod postulat, non nisi ex graui causa dari ei qui per propriam deuotionem non potest se ad illud preparare: quae sane ratio cum proportionem probat, aliis omnibus eo rarius, & cum grauiori causa dandum, quo minus habent deuotionis, & preparationis; ut etiam in hoc sensu habeat locum illud, *Cant. 5. Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, charissimi;* ubi vides ad maiorem satietatem inuitari charissimos, quam amicos: habet enim suam latitudinem inuitatio, sicut & ipsa amicitia, & familiaritas conuiuium.

Confirmatur tertio, quia eadem de causa ablati est usus calicis Laicis, ut scilicet seruaretur debita reuerentia Sanguini, licet alioquin careant Laici maiori fructu, quem ex vtraque specie haberi diximus *Disp. 12. sect. 3.* Item ea de causa prohibetur communio infirmo habenti periculum vomitus; quia plus refert cauere vomitum specierum ob irreuerentiam, quam infirmum habere fructum Viatici. Quid dico periculum vomitus? Etiam si non sit tale periculum, non permittitur aegroto sumere Eucharistiam de manu Laici, calu quo ablit Sacerdos: exultante Ecclesia, minus inconueniens esse quod moriatur sine Viatico, quam tangi Eucharistiam manu Laica, absente Sacerdote. Adeo curat reuerentiam huic Sacramento in omnibus seruari: & mirum erit, ob eandem reuerentiam, hominem remissum, & venialibus ex aduertentia plenum, in ipsiusque actu complacentem abstinere a quotidiana communione.

Confirmatur quarto; quia ob eandem reuerentiam prohibitum fuit olim accedere ad Eucharistiam post coitum etiam coniugalem, & licitum; & licet illa praecpta cessauerint in ratione praecpti, manent tamen in vi consilij congruentissimi, ut post talem coitum, vel pollutionem etiam inuoluntariam abstineat homo; ut docent Patres, & Theologi, quos refert, & sequitur noster Sanch. *lib. 9. de Matrim. Disp. 13.* nisi forte aliqua rationabilis causa in particulari excuset ab irreuerentia; de quo diximus *Disp. 15. Sect. 1.*

Sensit difficultatem Marzilla in *Additionibus c. 7.* & respondet, in primis illa antiqua decreta non tam praecipere, hominem non communicare post copulam, quam non habere copulam ante communionem; itaque ob reuerentiam Eucharistiae iubebatur homo, abstinere a copula ante communionem; quod si non abstinere, non ideo iubebatur abstinere a communionem; quia data illa negligentia antecedenti, adhuc melius erat communicare, quam abstinere. Caterum haec expositio est contra verba Patrum

20. Confirmatur secundo eo amentibus

Suarez.

21. Confirmatur tertio eo quod Sanguis non detur Laicis.

22. Confirmatur quarto ex antiqua prohibitione.

Sanchez.

23. Marzilla soluit difficultatem conatur.

Haec expositio est contra

Verba PP.

Tim. alex.

Patrum, & Auctorum, qui de hac re loquuntur etiam ex suppositione copula, vel pollutionis; & dicunt, non licere tunc accedere ad Eucharistiam. Sic expresse Timotheus Alexandrinus in Responsis Canonici, quæ habentur in 6. tom. Biblioth. Sacrae, respons. 5. & 13. vbi ait, coniugatos non posse sumere synaxim eo die, quo simul cohabitauerit: & S. Malachias, teste Bernardo in eius Vita, monacho polluto dixit: *Non debueras sic ministrare*. Et Carthusiani lege lata ita statuerunt, vt habetur in *statutu antiquis* p. 1. c. 43. monachū nocte pollutum etiā citra culpam, mane non celebrare, nec ad altare accedere. Et denique Scholastici, & Morales, quos refert Sanch. vbi supra, omnes loquuntur ex suppositione copulae, vel pollutionis, & dicunt, tunc minus decere cōmunionē, nisi aliqua sit causa rationabilis.

24.

Respondet
secundo.

Impugnatur.

Respondet secundo Marzilla, illam indecentiam inueniri, quando ex copula, vel pollutione præcedenti manent adhuc reliquæ in imaginatione, & appetitu, nec omnino sedata est delectatio ex copula orta: tunc enim, etiam si non interuenerit culpa grauis, decentius esset abstinere. Iam ergo concedit hic Auctor, & fatetur, licet inuitus, casum, quo careat homo gratia Sacramentali ob reuerentiam Eucharistiæ, cum tamen probatus sit, iuxta Apostolum, & digne manducaret. Videat nunc, si, quod ipse semel concedit, liceat nobis pariter concedere, quando homo habeat actualement complacentiam in venialibus innumeris, & nullam prorsus actualement deuotionem, vel fere nullam ob distractionem, & euagationem circa res domesticas; an tunc iniuria fiat huic homini, si ob Sacramenti reuerentiam abstineat ab hodierna sumptione, donec cras discat melius se disponere. Certe Eucharistia magis dignaretur hodie istud hospitium, quam hominem qui ob matrimonij legem seruandam habuit copulam: & tamen Paulus per te non suadet illi, sed permittit cōmunicare; ergo nec isti, de quo loquimur.

25.

Additur etiam
non tantum
attendit
reuerentiam,
sed etiam
ad utilitatem
summentium.

Adde tamen, non ita attendi in hac abstinentia ad solam Sacramenti reuerentiam, quin attendatur etiam ad sumentium utilitatem; imo dixerim præsertim attendi ad nostram utilitatem: quia regulariter loquendo quotidiana communio in eo statu remissionis, & corporis vix contingeret sine multiplici culpa veniali concomitanti, & antecedenti: tū quia, moraliter loquendo, repugnaret illi hominem quotidie preparare se cum ea deuotione, & attentione, quā postulat susceptio huius Sacramenti; vix enim, qui taliter viuunt, possunt se componere, & preparare semel in hebdomada, nedum singulis diebus: tum etiā præcipue, quia moraliter loquendo, quamplures communionem habent sine defectu, & malum venialiter, nempe inanem gloriam, vanam emulationem, vel aliquid simile. Ratio est, quia cum tota dulcedo, & efficacia huius cibi spiritualis sit, & famem exigit spiritualē, necesse est, hominem esuriētem quotidie hunc cibū, habere famē, & esuriem magnam spiritualem: hæc autem non reperitur, nisi in corde vacuo, & puro à mundanis curis, & delectationibus illicitis: cum ergo sine ista fame desiderari non possit cibus hic, prout oportet; hæc autem tanta fames non adsit, nisi in corde puro, consequens est, hominem nimis deditum humanis voluptatibus, (etiam citra culpam mortalem) vel non desiderare vere hunc cibum quotidianum, & corpori insipidum, vel regulariter desiderium illud habere admixtum alium finem imperfectum.

26.

Sane vis huius rationis moralis colligitur ex doctrina Patrum, qui passim negant veram famem in corde nimis impuro. Sufficiat pro omnibus afferre Gregorium super 1. Reg. 1. vbi de culpis etiam ve-

nialibus loquitur: *Non saturantur*, inquit, nisi famelicis, qui à virtutis perfectione ieiunantes. Divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis: quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt; quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, vacuari quotidie contentur: nam qui quotidie non exhauserit, quod delinquit, et si minima sunt peccata, quæ congeri paulatim anima replent; æque ei merito auferunt fructum internæ satisfactionis. Hæc repletionem nos euacuare Paulus infirmans, ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c. Hæc Gregorius: quæ nescio quomodo adducat pro se Marzilla, vt probet, solam peccati mortalis carentiam commendari à Paulo, & Patribus, ad functionem Eucharistiæ, cum constet ex Gregorio, etiam minima peccata, si plura sint, obesse, & impedire famem spiritualement, nisi per displicentiam euacuentur.

Denique libet addere, quod Ludouicus Blofius in *Momils Spiritualis* c. 6. refert S. Gertrudem intellexisse à Domino: *Quot quoti (inquit) viri, vel famula, &c. in aliquo statu, qui à Deo & Ecclesia non discordet, sine sint in matrimonio, sine extra matrimonium, sine vendant, sine emant, seu quauis alia licita ratione vitium sibi parent, si bona voluntate præditi ex Dei gratia persenerant in bono, & à grauibz culpis sese continent, vitamque suam secundum Dei præcepta, ac sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt, peccataque sua humili corde de Sacerdoti confitentur; hi omnes de Dei misericordia confisi venerandum Eucharistiæ sacramentum in solemnitate, vel diebus à Patre spirituali ipsorum status accipere possunt. Licet enim rebus exterius multipliciter occupati sint, & in leniores culpas sapius cadant, peccata tamen sunt iusti in omnibus, ob idque Deo placeant. Inueniuntur autem nonnumquam inter eos, qui habitum saccularem gestant, aliqui tam parvi, & seruantes, vel sancti, vt quotidie sacram communione percipere possint. Hæc ibi: quæ eo libentius transcripsi, quo maioris ponderis apud aduersarios erit doctrina à Christo tradita sanctæ virginis Gertrudis Ordinis S. Benedicti, & salata à Venerab. Viro Ludouico Blofio Abbate eiusdē Ordinis. Constat autē ex verbis illis, non omnes, sed aliquos paucos esse ex iis secularibus, qui Deum timent, quibus Eucharistia quotidie danda sit: constat etiam, non, nisi statutis à Patre spirituali diebus, eam debere accipi, quæ erat secunda pars probanda sectione sequenti.*

SECTIO III.

Secunda pars communis, & vera sententia probatur.

Id quod secundo loco probandum proposuimus, est Confessarij, seu Patris Spiritualis consilium attendendum, non solum quatenus per Sacramentalem absolutionem iudicet hominem dignum Eucharistiā, sed quatenus etiam assignet frequentiam regulam prudentem, magis vel minus frequentem accedendi: quod quia magis discedit à Theologo Scholastico, breuius à nobis in hac sectione officitur. Et in primis probari potest auctoritate omnium Theologorum, quos superius adduximus, qui hoc vel supponunt ex praxi receptissima Pet. de Soto & b. præ Barthol. à Medina; P. Henrici, qui alios afferunt, & de Eucharistia c. 3. §. 2. Alfonsi Salmeron 1. 1. c. 8. in Euangel. tract. 41. circa finem; qui licet acerrime suadeat communionis frequentiam, addit tamen hoc fieri debere à Laicis arbitrio Sacerdotum, modisque prudenti.

prudens, ac probus. Et in eodem tractatu paulo à principio affert ex Dionysio Carthus. exemplum quarundam Monialium contra eos, qui, spreto iudicio, & consilio suorum Præfectorum, sæpe audent communicare. Eodem modo loquitur Suarez, & alij omnes Recentiores, quos non oportet singillatim enumerare.

29. Ratione item probari potest ex duplici capite; primo, ex regula illa generali apud Sanctos & spirituales viros receptissima; quod in rebus ad profectum spiritus pertinentibus debet unusquisque Patris spiritualis consilio stare, nec suo se arbitrio regere; quod in rebus aliis sanctis locum habet, ut in oratione, ieiunio, penitentia, &c. quanto magis in Eucharistia, cuius nimiam sumptionem habere aliquod periculi probatum est supra; & per consequens, dubium est hic, & nunc, qualis frequentia huic homini magis expediat, iuxta vitæ statum, quem habet. Nam, (ut dixit Catechismus supra adductus) non potest una regula pro omnibus assignari. Cur ergo in hoc dubio non stabit prudentis Patris iudicio, sicut & in aliis ad spiritum pertinentibus? Sane si Ecclesia non prohibuisset binam in die communionem, posset etiam aliquis dubitare, an sibi expediret duplex communio, matutina, & vespertina? Diceret tunc forte Marzilla, non esse de hoc consulendum, quia res erat de se bona, & utilis. Falleretur tamen; nam ipsa Ecclesia prohibitio ostendit, unicam esse ipsi sumenti utilitatem, quam duas. Cur ergo nunc non potest dari homo, cui unica in hebdomada utilis sit? & per consequens, ne decipiatur, oportebit Patris alicuius prudentiam consulere.

30. Cæterum, quidquid sit de aliis rebus; circa usum tamen huius sacramenti magis voluit Ecclesia, spectari consensum Sacerdotis à Laicis. Nam in primis ideo Christus Dominus noluit Laicos habere hunc cibum, nisi per manus Sacerdotis; ut scilicet sciret Sacerdos, quibus, & quando dari expediret. Nec sufficit quicumque Sacerdos, sed requiritur proprius Pastor, Parochus scilicet, vel alius, qui ab eo habeat iurisdictionem delegatam; quod indubitatum est apud omnes Theologos; ut ex Conciliis & Patribus probat Valquez *disp. 219. cap. 2.* Suarez *disp. 72. sect. 2.* & ex Scholasticorum, & Summistarum consensu, quos affert & probat Henricus, *dicto lib. 8. de Euchar. cap. 5.* Sane hæc iurdictio, quæ in dante desideratur, ideo est, ut Pastor, cuius est oves agnoscere, melius possit consulere utilitati subditorum: alioquin si hæc sumptio non haberet peculiarem difficultatem post Sacramentalem absolutionem, non desideraretur peculiaris iurdictio, ut homini semel à proprio Pastore absoluto posset Eucharistia ministrari, sed posset eam à quolibet accipere.

31. Concedit Marzilla consequentiam in Memoria li ante primam objectionem, ubi docet ad communicandum ex deuotione per annum, nullam exigi iurisdictionem in Sacerdote, sed solam potestatem Ordinis: sed an sine temeritate, viderint alij, cum sit contra omnes prorsus Theologos, & contra mentem Pontificum, qui Religiosis concedunt privilegia ministrandi Eucharistiam non subditis; & hoc cum limitatione, scilicet in propriis solum domibus: & contra Rubricam, & Canones positos in Manuali pag. 1. ubi expresse habetur, sacramentum Eucharistie nunquam nisi in casu necessitatis posse ministrari nisi à Parocho; & denique sine vilo prorsus fundamento. Nam in primis affert pro se illud ex Hymno Ecclesiæ: *Cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris.*

Cæterum ex hoc loco, non magis probatur, posse Sacerdotem simplicem ministrare Eucharistiam, quam absolueret. Nam similiter dici potest, Christum dedisse Sacerdotibus potestatem absoluerendi, quando ordinantur. In utroque autem casu sermo est de potestate ordinis, non de potestate iurisdictionis, quæ postea exigitur. Sicut etiam ad vngedum infirmum requiritur eadem potestas, licet Apostolus absolute dicat, hoc munus congruere presbyteris: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* affert secundo pro se verba Tridentini optantis, quod omnes fideles communcent in omnibus Missis priuatis: ergo supponit, omnes Sacerdotes posse ministrare Eucharistiam; alioquin optaret Concilium fideles accipere Eucharistiam ab eo, qui dare non potest. Futile sane argumentum, sicut si inferres ex eodem loco Concilij, posse aliquem communicare bis eodem die; quia Concilium optat, quod communicet in omnibus Missis, quas audit: contingit autem eadem die audire plures Missas. Ridicula esset consequentia; quia Concilium supponit terminos habiles, quod scilicet illa die non communicauerit, quod sit rite absolutus à proprio Sacerdote, & quod ab eodem habeat veniam accipiendi Eucharistiam.

32. Confirmatur primo ex c. *Omnis utriusque sexus*, de penitent. & remis. ubi cum sermo sit de communionem annua ex præcepto facienda tempore Paschatis: adhuc permittitur differri ex consilio Confessarij: ergo à fortiori communio non ex præcepto, sed ex deuotione facienda differri vtiliter poterit aliquando ex eiusdem Confessarij consilio. Nec obstat, si dicas, in casu illius textus intelligi dilatam absolutionem sacramentalem, quia obstant verba illa, *de consilio*: quæ in rigore non sonant obligationem præcepti, sed directionem consilij.

33. Confirmatur secundo ex usu, & praxi sanctorum, de quibus passim legitur, quod prohibiti à Confessariis abstinebant sæpe à quotidiana communione. Sic narrat Ribera de S. Theresia *lib. 4. c. 12.* & idem legitur de aliis innumeris, qui sane spiritu Dei ducebantur ad obediendum. Nam licet Confessarius aliquando possit decipi; penitens tamen non decipitur, dum ei obedit, qui personam Christi sustinet; ut certum est in materia de obedientia. Ad quod facit, quod legitur in vita S. Bernardi *lib. 1.* quod cum Monacho die solemni quodam præcepisset, abstinere ab Eucharistia, ille tamen verecundia causa accessit; non tamen potuit cælestem cibum trahere, donec à Bernardo veniam obtinuit suæ inobedientia; nec est credibile, Monacho illi dilatam fuisse absolutionem sacramentalem ob aliquod peccatum mortale, tum quia ætas illa, & perfectio illius sanctissimi Cenobij delicatorem viuendi rationem habebat; tum etiam, quia, si absolutio merito negata fuerat, ut experientia fumeretur de Monacho, ut fieri solet; procul dubio non deberet tam cito absolui eadem die, ut communicaret: quare verius videtur, dilatam fuisse eam communionem ob maiorem sacramenti reuerentiam ex consilio Prælati, cui in hac materia obediendum ostendit illud *Exodi 16.* ubi taxante Moyse mensuram Gomer, quam ex manna singuli colligerent, & aliquibus non obedientibus, sed mensuram excedentibus, & relinquentibus vsque mane, *scatere capis vermis, atque computruerunt*; quia nimirum, quantumvis sit panis Angelorum, colligi tamen debet iuxta consilium Patris, & Confessarij, ne forte occasionaliter noceat.

34. Ad quod etiam facit, quod refertur 1. Mach. c. 4. quod cum inuenisset Iudas altare holocaustorum profanatum, & dubitaret de illo, an vtendum ipso esset scriptura.

Affert pro se ille auctor verba Tridentini.

Sed futile est argumentum.

32. Confirmatur.

33. Confirmatur secundo ex usu sanctorum.

34. Affertur exemplum ex ceter scriptura.

esset ad holocausta, incidit illis consilium bonum, & reposerunt, inquit, lapides in monte domus in loco apto, quoad usque veniret Propheta, & responderet de eis. Sic sane fieri debet, quoties dubitatur de puritate ad frequentiam huius sacramenti; mundare lapides, quantum fieri potest, ponere eos in loco apto, & puro, ac de reliquo consulere Prophetam, Prophetam, inquam, non quemlibet Sacerdotem, sed doctum, & pium, qui spiritum Dei habeat; sicut Iudas noluit consulere Sacerdotes, quos secum habebat, sed expectare Prophetam: est enim res periculi plena, & in qua vel per excessum, vel per defectum facile decipi possumus. Vnde non desunt, qui doctrinam illam de non sequendo consilio Confessarii in ordine ad communionem temerariam, & scandalosam iudicent; cum quibus sentit P. Luisius Turrianus in *disf. selectis*, *disf. 36. de Censuris Theolog. censura 4. dub. 44.*

35.

Turrianus.

S. Thom.

Respondetur
sancto Th.

Obstare videtur huic doctrinæ S. Thomas in 4. *dist. 12. q. 3. art. 1. quasiunc. 2.* vbi ex Augustino docet, quoad hoc relinqui debere unumquemque suo iudicio; ergo non oportet sequi iudicium Confessarii. Respondetur, S. Thomam docere, unumquemque consulere debere in primis propriam conscientiam, an experiatur minui, vel augeri in se reuerentiam, & affectum per frequentiam: hoc enim nemo scire potest, nisi ipse, qui experitur, & quoad hoc relinqui debet quilibet suo iudicio: ceterum postquam Confessarium de hoc instruxerit, ad Confessarium spectat præcipere, quod facere debeat.

SECTIO IV.

Soluuntur obiectiones contra communem sententiam.

36.

Salmeron.

Videamus nunc fundamenta aduersæ opinionis, cuius auctor ea fere desumpsit ex Salmerone *dicto tom. 9. tract. 41.* non tamen sumpsit limitationem, qua Salmeron absoluit illum tractatū per hæc verba: *Vt autem ad Laicos veniamus, quibusdam quotidiana communio conueniunt, quibusdam octavo quoque die, quibusdam semel in mense, & sic de aliis pro cuiusque dispositione, & arbitrio Sacerdotis, modo sit prudens, ac probus, ita ut non possit certa aliqua regula assignari.* Hæc ille. Veniamus tamen ad argumenta; & in primis ad ea, quæ ducuntur ab auctoritate; deinde ad rationes.

37.

Chrysost.
Primo obicit
potest Chry-
sost. & alij.

Primo ergo obicit potest Chrysostomus *tom. 4. hom. 5. super. 1. ad Timoth.* in hæc verba: *Hoc est, quod vniuersa perturbat; quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore constare meritum putas; summamque arbitraris reuerentiam, ac religionem esse, si non sapius calem illam ad eas mensam. Ignoras, quoniam indigne accedere, etiam si semel tantum fiat, te supplicio tradit: digne vero, etiam si sepe accedas, salutem inde conquiris?* Idem Chrysostomus *hom. 3. in Epistol. ad Ephes.* *tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti: sed sola anime sinceritas, atque expurgatio: cum tali puritate accede semper, sine hac ne præsumas unquam.* Consonat illud Augustini *tom. 10. ser. 28.* de verbis Domini: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Bonaventura de process. Relig. processu 7. cap. 21. *licet tepide accedas fiducialiter confidens de misericordia Dei; quia quo magis ager, magis indiges medico.*

Augustin.

Bonavent.

38.

Idem.
Explicatur.
sancti PP.

Hæc, & alia similia explicat idem Bonaventura in 4. vbi supra, dicens, debere intelligi, salua semper debita preparatione, quæ in paucissimis est, ut semper. Suadent ergo Sancti frequentem communionem;

eo tamen ipso suadent disponere se hominem ad frequenter accedendum, ut dixit Ambrosius: *Quotidie accipe, quod quotidie tibi prodest.* Sic vine, ut quotidie merearis accipere. Fateor item, solum temporis dilationem per se non conferre ad meliorem preparationem, nec frequentiam reddere minus aptum, imo potius magis per se loquendo: per accidens tamen potest alicui occasionaliter frequentia parere irreuerentiam, ut supra probatum est. Cum vero dicit Chrysostomus, cum vite puritate temperandum, debet accipi illud, semper, cum proportionem, id est, suis temporibus congruis, pro maiori vel minori congruitate & necessitate: sicut, semper orandum, debet accipi cum eadem proportionem. Adde, verissimum esse, qui non est dignus quotidie, non esse dignum post annum: hoc tamen solum arguit, ineptam esse exultationem eorum, qui præterant indignitatem, ne accedant. Ceterum licet post annum non sit dignus condignitate adæquationis, potest tamen accedere aliquis sine indecentia: quæ est, si cum eadem tepiditate accederet quotidie, qui post annum datur grauior necessitas, quæ excusat, & compensatur illa irreuerentia.

Secundo obicitur, panem istum appellari quotidianum, id est, quotidie accipiendum: quæ verba de Eucharistia intelligunt plures Patres adducti à Salmerone vbi supra: Respondeo cum Bonaventura supra, panem esse quotidianum per se loquendo, & supposita debita dispositione, quam obiter petimus petendo panem illum fieri nobis quotidianum. Eodem modo intelligi debet admonitio Catechismi docentis Parochum, ut hortetur fideles hunc panem quotidie sumere, sicut corpori in singulos dies alimentum subministrant. Quæ verba explicari debent ad mentem eiusdem vbi supra dicentis, dispositionem ad Eucharistiam latitudinem habere, atque ideo non posse vnā regulam pro omnibus præscribi.

Tertio obicitur ex Hilario in cap. Si non sunt, de consecrat. d. 2. Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare: ergo sola carnis mortalis culpæ sufficit ad vitium accedendum. Respondeo, ibi non agi de maiori vtilitate quotidianæ communionis, sed solum de omissione communionis; quæ intuitu delictorum præcedentium non debet omitti, si homo velit se preparare, nisi propter illa fuerit excommunicatus. Quo etiam sensu loquitur Gregorius lib. 2. Epistol. 26. Sicut, exegit culpa, quis à Sacramento Communionis digne suspenditur: ita infontibus nullo modo talis debet rogari vindicta.

Quarto obicitur Tridentinum Sess. 22. cap. 6. vbi optat, in singulis Missis fideles adstantes communicare. Item declaratio Cardinalium in 4. vol. de constitutionum Rotæ supra illum locum Concilij, vbi dicitur, Tridentinum obitare Episcopo prohibentem communionem quotidianam omnibus coniugatis, præscribenti certos dies, extra quos non fiat communicatio. Respondeo, Tridentinum optare, id quod perfectius est; ceterum simul optare in omnibus dispositionem congruam ad illam frequentiam. Quæ merito reprehenditur Episcopos prohibens communionem quotidianam, sicut reprehenderetur, qui prohiberet in vniuersum statum Religiosum: hoc certum fit non expedire omnibus in particulari ingredi Religionem.

Quinto obicit Marzalla in Additionib. c. 21. ubi exortat Ioannis de Auila, viri pietatis, & doctrinæ nostro sæculo insignis; qui consuluisset, an Pater chrysogarus sæpe in anno debeat dare Eucharistiam percipere.

petenti, necne: Respondet affirmatiue, & multum commendat frequentiam communionis, quæ responsio habetur in 1. *tom. 3. partis suorum Operum, tract. 23.* Gaudeo, Marzillam velle litem hanc definiti ex sententia Ioannis de Auila, quem fateor virum piissimum, & magnæ auctoritatis: debuerat tamen videre, an eum satis haberet pro se in hac causa. Fateor, fuisse propensum valde in frequentiam Eucharistiæ, & perpetuum eius commendatorem: non tamen talem, quales sunt hi auctores, vt patet ex integra eius epistola, quæ habetur in 2. *parte Epistolarum*, ad Concionatorem rogantem, vt rum quotidiana comunio consulenda sit omnibus personis coniugatis, & laicis: vbi acerrime inuehitur in hanc consuetudinem, & consilium, & concludit, rarissimum esse, vt coniugatus possit congrue accedere nostro saculo quotidie ad Eucharistiæ; & dissoluit clare omnia argumenta opposita partis, adeo vt mirum sit Marzillam eam epistolam legisse, & in Auilam, vt in hostem apertum, non iruisse. Videatur tota, quam libenter transcriberem, nisi omnibus vulgari lingua præ manibus haberetur.

43. Obicitur sextum obiectum primitiæ Ecclesiæ, in qua fideles omnes quotidie communicabant. Respondet Bonauentura vbi supra fecuorem illius saculi proportionem habuisse cum illa frequentia: quare qui se experiatur sapere illud seculum, habeat etiā frequentiam illius saculi. Respondet secundo Auila, vbi supra, non esse credibile, quod coniugati etiā post copulam accederent quotidie ad Eucharistiæ, cum ex decretis illius temporis constet, quam serio ab Eucharistia remouerentur post copulam.

44. Septimo obicitur ex Paulo, dispositionem necessariam esse solam puritatem à lethalibus; qua posita, homo edat, & bibat: Ergo si hæc datur quotidie, quotidie expedit edere de hoc pane. Respondetur; in primis hoc argumentum probat similiter post pollutionem nocturnam, & cum delectatione veniali expedire communionem, quod non audent concedere aduersarij, vt vidimus. Deinde Gregorius Papa, 1. Reg. 1. prædicta verba Apostoli de munditia etiam à venialibus cum proportionem quadam intelligit, vt supra visum est. Nam cum dixisset, peccata etiam minima euacuanda, vt famelici simus, statim subdit: *Hæc repletionem nos euacuare Paulus insinuat, ait: Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid enim est hoc loco probare, nisi euacuata peccatorum nequitia, se probatum ac purum ad Dominicam mensam exhibere? De repleto etiam subdit: Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad penitentiam lamentamur, quia ipsa sola virtus est, quæ euacuet, quod in ventre anime culpa coadunat; & tunc vere famelici saturantur, quia quo studiosius mundamur, lamento penitentia, eo uberius Divina gratia fructum recipimus in spirituali refectio. Hæc Gregorius, vbi non vult, venialia inducere grauem reatum communicanti, sed cum proportionem quadam consilium Pauli accipiendum, vt scilicet eo maior fructus speretur, quo maior fuerit euacuatio; & eo plus periculi esse in hac mensa, quo minus euacuata fuerint etiam venialia, & quotidiana peccata. Denique dici potest, verba illa: *Sic de pane illo edat*, non esse consulenti, sed permittenti edere, postquam præcedit puritas à lethali: manet tamen locus consilij abstinendi aliquando, vt cum reuerentia sumatur.*

45. Octauo obicitur; quia Sacerdotes celebrant quotidie, cū tamen ad celebrandum eo maior requiratur puritas, quo excellentior est dignitas Sacer-

P. Ioan. de Lugo, de Sacramentis.

dotis, quam Laici communicantis. Respondet, primo, Sacerdotes etiam cum pari dispositione posse frequentius celebrare; quia defectus ille puritatis compensatur per maiorem obligationem, quam ex officio habent offerendi Sacrificium: sunt enim nūcij, & ministri publici deputati ab Ecclesia, vt eius nomine Deum placatum reddant: quare ipsius Ecclesiæ puritas, cuius nomine accedunt, reddit eos magis acceptos, vt accedat ad Deum. Respondetur secundo Sacerdotes ex officio habere per se minorem indispositionem accedendi quotidie, vt pote quos ipse status separat à curis secularibus, à coniuge, à filiis, &c. Respondetur tertio, Sacerdoti, qui culpabiliter, vel inculpabiliter habet idem periculum irreuerentiæ, & indeuotionis ob nimiam frequentiam, optimum etiam consilium esse, aliquando abstinere, vt postea reuerentius accedat. Sic enim Sacerdotibus consulit D. Bonauentura vbi supra lib. 2. de perfectu Religiosorum, c. 77. omnino videndus.

46. Nono obiciunt, quia ex nostra sententia sequitur, nemini Laico posse concedi quotidianam communionem sine vehemēti periculo superbiæ; nam eo ipso iudicat Confessor, habere maximam puritatem ad talem frequentiam requisitam. Respondet; maior superbiendi occasio nascitur, cum Deus aliquem ad miracula, vel reuelationes extollit: sed re vera in iis casibus est minus periculum superbiæ; quia quo maior est puritas, eo maior est lux ad cognoscendum, puritatem illam esse donum Dei à Deo dependens, & de quo non nisi stultissime potest aliquis gloriari.

Obiciunt vltimo, si hodie non expedit communicare, ergo nec post octo dies; quia tunc non erit maior puritas. Respondet, in primis ipsa abstinentia est occasio, vt postea accedat aliquis cum maiori deuotione actuali, & se diligentius præparet, vt supra vidimus. Deinde, etiam dispositio esset æqualis, minor irreuerentia est accedere singulis hebdomadis, quam singulis diebus; quia necessitas est maior pro singulis hebdomadis, quā pro singulis diebus; & excessus necessitatis tollit irreuerentiam, vt patet in amentibus; cui, dum sanus est, non datur Eucharistia ob irreuerentiam, & tamen datur in articulo mortis propter maiorem necessitatem: ergo cum proportionem, quo magis crescit necessitas, minor erit irreuerentia accedere ad Eucharistiæ etiam cum æquali dispositione.

48. Omitto alia argumenta leuiora, & alia testimonia, quæ afferunt, & facile ex dictis possunt dissolui. Pro coronide tantum huius Disputationis, de qua ultra citatos videri possunt Lufius Turrianus in disputat. Select. part. 2. disputat. 1. & Paulus Sherlogus in Antecologis ad Cantica, Antecolog. 4. sect. 10. & 11. Hoc vnum monere velim, Concionatores regulariter debere ad frequentiam incitare; tum quia populus in hoc saculo multo magis inclinatur ad raritatis, quam ad frequentia vitium; & si frequentia reprehendatur, facile fiet, vt plures suam desidiam reuerentiæ velamine simulare velint; tum etiam, quia multo plura inconuenientia ex raritate nascuntur, quam ex frequentia: nam vt in plurimum ad frequentiam non declinant, nisi timorati, & pii. Cum enim Eucharistia cibis sit carni insipidus, & super quo carnalis homo quotidie nauseat, quantumvis frequentia prædicetur; non nisi per pauci ad quotidianam communionem accedent; facilius erit, si frequentiam reprehendas, quam plures ab hebdomadaria remouere. Decet ergo Theologum scire, quod doceat Theologica veritas in hoc negotio; sermonem tamen temperare, & apud plebem

notes quod
id est celebrat.
Respondet.

Respondetur
secundo.

46.
Obicitur nono.

Respondetur.

47.
Obicitur vltimo.
Respondet.

48.
Turrianus.
Sherlogus.
Concionatores
tamen ad
frequentiam
debent incitare.

plebem in fauorem frequentæ loqui; prout sancti Patres, & Theologi omnes Scolastici fecerunt. Faxit Deus, ita omnes sentiamus, & loquamur. prout ad huius Venerabilis Sacramenti reuerentiam magis expedit, & ad nostrarum animarum vtilitatē.

DISPUT. XVIII.

De Ministro Eucharistiæ.

SECTIO I. *Vtrum solus Sacerdos possit Eucharistiam ministrare.*

SECTIO II. *Vtrum omnes Sacerdotes possint Eucharistiam ministrare.*

Actio ministri duplex.
S. Thom.

Vasquez.

DUPLEX est actio ministri in hoc Sacramento; altera ad conficiendum; altera, ad dandum suicipienti. De vtraque agit S. Tho. q. 82. & de prima dicit *art. 1.* pertinere ad solum Sacerdotem rite Ordinatum: est quidem quia ad controuersias spectat, qui contra hæreticos nostri temporis id accurate tractant, illis relinquitur: & videri etiam potest Vasquez *disp. 218. c. 1.* Postea *art. 2.* tractat S. Thomas, an possit hoc Sacramentum confici simul à pluribus Sacerdotibus; de quo puncto late diximus supra *disp. 11. sect. 8.* Restat nunc agere de secunda actione, dandi hoc Sacramentum; de qua duo breuiter tractari possunt. Primum. quis possit hoc Sacramentum dispensare; Secundum, quibus, & quando possit, vel debeat à ministro dispensari.

SECTIO I.

Vtrum solus Sacerdos possit Eucharistiam ministrare?

De consecratione non est dubium apud Catholicos.
Cōc. Trid.

S. Thom.

Ex officio etiam dispensandi potestas competit Sacerdoti.

NON est dubium apud Catholicos, solum Sacerdotem rite Ordinatum posse valide Eucharistiam consecrare, vt constat ex definitione Tridentini *sess. 23. c. 4.* & aliis passim. Neque etiam dubium est, quod Sacerdotes hæretici, schismatici, excommunicati, &c. valide conficiant, quamuis non licite, hoc Sacramentum, vt cum S. Thoma *dist. 9. q. 82. art. 7. & 8.* probant omnes Theologi.

De potestate dispensandi, conueniunt fere, eam ex officio competere soli Sacerdoti; ex commissione vero competere aliquando Diaconis, qui olim Sanguinem populo ministrabant, & aliquando etiam Corpus; vt constat ex Iustino Mart. *apolog. 2.* pro Christianis in fine. Quare sententia, quæ tribui solet Soto, & aliis, quasi dicant, iure Diuino ad solos Sacerdotes pertinere dispensationem Eucharistiæ; intelligitur, nō quod iure diuino vetitum sit aliis ministrare, sed quod iure Diuino solus Sacerdos constitutus sit minister ex officio, Diaconis vero id solum competat ex commissione Sacerdotis, vt bene explicat Vasquez *disp. 219. c. 1.*

Duplex tamen difficultas hinc oritur.

1. Hinc tamen oriri videtur duplex difficultas: prima; quia si Diacono solum ex commissione competit ministrare Eucharistiam, hoc quidem non est aliquid peculiare: nam Subdiacono, & Laico etiam posset Sacerdos committere, vt deferret, vel daret agroto Eucharistiam. Sic enim apud Eusebium *lib. 6. histor. c. 36.* legitur Eucharistia à Sacerdote Missa per Laicum ad infirmum: & olim fidelibus non solum dabatur in manus, vt ipsi eam acciperent, sed etiam vt domum deferrent postea sumendam. Cur ergo non posset illuc à Presbytero per alium transmitti? Secunda difficultas est, quia

Sacerdos, qui non est Parochus, non potest etiam nisi ex commissione, & licentia Parochi ministrare Eucharistiam. Si ergo Diaconus potest ex commissione, nō differt in hoc à Sacerdote, sed à Parcho.

Pro solutione & explicatione vtriusque difficultatis aduerto, dupliciter posse aliquem ministrare hoc Sacramentum. Primo, vtendo auctoritate, & iure, quod habet ad dispensandum; secundo, vt merum ministrum, & instrumentum alterius. Sic enim videmus, in humanis aliquem dupliciter posse dispensare pecunias, vel cibos aliis: primo, vtendo potestate, & iure suo, vel ab aliis accepto; vt cum dominus, vel is qui à domino habet ius vtendi, distribuit; secundo, mere ministerialiter, vt cum famulus deferat cibos ad mensam, & distribuit singulis conuiuiis ex iussu domini presentis, vel absentis. Et quidem est magna differentia inter vtrumque modum: nam primo modo non liceret Religioso aliquid distribuere absque licentia Prælati: vteretur enim iure aliquo circa res, illas, & exerceret actum dominij, vel quasi dominij dando, & transferendo ius in alios: at vero secundo modo nihil ageret contra votū Paupertatis, si Religiosus ministraret conuiuiis, vel pauperibus, & apponeret illis, quæ alius apponenda prescriberet: tunc enim non operaretur nomine suo, sed tanquam merum instrumentum inane alterius, perinde ac si ea actio fieret per amentem, vel infantem, qui non est capax transferendi dominij in alium.

Hoc ergo supposito, dicimus primo, Laicum accipientem Eucharistiam de manu Sacerdotis, etiam si eam accipiat in manus, vt inde ore sumat, habere se sicut merum conuiuium; qui dum cibos accipit de manu domini, non exercet potestatem, aut actum dominij, sed habet se passiuè, consumendo cibos illos nomine illius, à quo accipit. Laicus item, qui iussu Sacerdotis deferret Eucharistiam infirmo, haberet se, sicut famulus in conuiuiis, qui nō dispensat nomine proprio, sed est merum instrumentum dispensantis: vnde actio illa eodem modo fieri posset ab infante, vel amente, si aliunde non esset periculum irreuerentiæ. Quod idem dicendum est de Subdiacone, & aliis inferioribus Clericis, qui si ex commissione Presbyteri Eucharistiam ministrarent, non aliter se haberent, sed essent merum instrumentum exsequutionis voluntatis, & potestatis Presbyteri.

Vnde obiter infero, non videri ad rem præsentem distinctionem illam actionum; quæ interueniunt in distributione huius Sacramenti, quæ consideranda esse dixit P. Coninck in *presenti q. 82. art. 3. m. 15.* Alia enim est inquit, qua minister Sacramentum ex altari aut loco, quo seruatur, porrigit communicaturo, vt ipsum sumat. Alia est, qua illud præcise admouetur ori communicantis: quæ actiones etiam simul, & ab eodem fiant; tamen distinctæ sunt; & distributio Sacramenti proprie consistit in prima actione: secunda vero ad summptionem spectat: Hæc, inquam, distinctio ad propositum non videtur apta: tum quia per accidens est ad distributionem propriam Sacerdotis, quod accipiat hostia ex altari, vel custodiat: nā licet hostia ab alio daretur Sacerdoti in manus, & ipse eā communicaturo porrigeret accipiendo eius ori, vere distributio esset Sacerdotalis: tū etiā, quia omnes illæ actiones præuique posset, secluso omni iure humano, fieri à Clerico minori Sacerdotis iussu, & vt à mero instrumento, modo supra explicato, absque eo, quod ille distribuere proprie loquendo. Non ergo est attendenda difficultas physica illarum actionum, sed moralis, an scilicet fiat ab operante per potestatem, & auctoritatem propriam, an solū ministerialiter, & materialiter nomine alterius.